



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCCCCXLVII. ad annum MDXXVII.

**Parisiis, 1644**

- I. Quod archiepiscopi prouincialia in biennio, & episcopi synodalia annuatim saltem Concilia celebrent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15644**

præmissa, totum id quod sit possibile peragamus, in ipso non ab re fiduciam obtinentes, qui etiam in mediis fluctibus, quemadmodum est pollicitus, sponsam suam non deseret prædilectam; dissidiorumque vepribus ac vitiorum tribulis amputatis, fructus dulcis subscendet: quo in confortio illorum, quorum vices gerimus, fruamur in excelsis. Hæc igitur, redemptoris nostri postulato suffragio, effectui mancipantes, Nos Alphonſus Carrillo miseratione diuina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas, ac regnorum Castellæ maior cancellarius, reuerendos in Christo patres dominos episcopos comprouinciales & suffraganeos nostros, ac nostrum & eorum capitula, illorumque venerabiles procuratores ad oppidum hoc de Aranda nostræ prouinciæ & Oxomensis diocesis, per nostras patentes literas fecimus conuocari, & vna cum eisdem suffraganeis, ac in suorum capitulorum præsentia prædictorum, super morum reformatione, aliisque Dei cultum & salutem tangentibus animarum, & Concilium prouinciale deliberauimus celebrare. In eo constitutiones edidimus infra scriptas, die videlicet quinta mensis Decembris de anno Domini 1473. quo die Concilium præfatum extitit terminatum.

## C A P I T V L A.

### I.

**C**ANDOR æternæ lucis Christus Iesus, qui ecclesiam suam noua semper prole fecundat, sanctorum patrum & antistitum corda splendore suæ gratiæ clementer illustrauit: eosque in domo Domini ideo diuina potestas ceteris præferre ab alto decreuit, vt ab eis salutaria prodeant statuta, quibus velut vberimis fontibus tota terra irrigata redemptori nostro reddat fructum suum. Quia vero sacrorum Canonum institutis sancitum nouimus ab antiquo, per metropolitanos antistites cum suis suffraganeis prouincia-

lia

ANNO  
CHRISTI  
1473.

lia Concilia annis singulis debere celebrari: nos pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, vt iidem metropolitani cum suffraganeis suis, per se vel per alios, quatenus de iure conceditur, ipsis legitime impeditis, Concilium prouinciale loco & tempore opportunis saltem in biennio, & episcopi nostri in suis dioccesibus synodale annuatim celebrent: & si hoc negligenter omiserint, tamdiu ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam suam archiepiscopus prouincialia, & episcopi synodalia Concilia celebrando purgauerint: adiicientes, quod episcopi qui vocati per metropolitanum ad eadem Concilia venire neglexerint, nisi canonico, euidenti & ineuitabili impedimento fuerint præpediti, eo ipso similiter ab ingressu ecclesiæ per tres menses sint suspensi: & nihilo minus sic impediti, vt præmittitur, procuratores suos sufficientes & instructos ad ea quæ in Concilio expedienda erunt, & cum quibus de impedimento huiusmodi fidem & probationem indubiam faciant, mittere teneantur: alias ipso facto eandem suspensionem & ducentorum florenorum pœnam incurrant, expensis Concilii applicandam.

## II.

Arma militiæ nostræ aduersus spirituales nequitias maxime consistunt in fide. Hæc enim lapis angularis est, & fundamentum totius nostri operis. Ideoque volentes æternam salutem adipisci, oportet de fide & moribus esse eruditum. Quapropter vniuersis ac singulis parochialium ecclesiarum rectoribus per nostram prouin-

*Concil. Tom. 34.*

E